





1. Gambier: De mirra et anii fractura in homine per 40 annos superstite 1718
2. Garnbenfeldt: De labari uro et alioru 1747
3. Gasser: De morbo nigro Hippocratis 1761
4. Gaermann: Scirrhum uleri 1757
5. Gaupp: De novi membra ampullaris modo 1722
6. Gillet: De aneurysmate. 1757
7. Gile: De Morbillis 1728
8. Gigli: De exploratione granidarum 1752
9. Glaubrecht: De odontalgea 1766.
10. Gloxin: De dysenteria castrensi 1708
11. Gloxin: De primo infantis vagita 1706.
12. Glückherr: Febrem inflammati mercuris interlinalem 1757
13. Gocritz: Hydrops alias morbus puruendens.
14. Gocritz: De subitanea morte a sanguine in pericardium effuso.



ANALECTA  
DE  
**ODONTALGIA**  
EJUSQUE REMEDIIS VARIIS  
PRÆCIPUE  
**MAGNETE**  
SPECIMINE INAUGURALI MEDICO  
DIVINIS SUB AUSPICIIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM  
UNIVERSITATE  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**FRANCISCUS ERNESTUS GLAUBRECHT**  
OXOVIO FRANCUS  
AD D. 29 Januarii A. R. S. MDCCCLXVI.

ARGENTORATI excudebat JONAS LORENZIUS Typogr.

А Т Р Е Щ А

Л Д Г А Т Н О Д

Э Т Е И Э А М

---

P E C H L I N.

*Obs. Phys. med. L. II. obs. 36. p. 302.*

Solet ludibrium Artis esse Dentium dolor, &  
magis saepe anilibus, superstitionis, vulgaribus-  
que subigi remediis, quam exquisitis, delectis,  
& ut alibi vocant Canonicis.

---

**R E V E R E N D I S S I M I S**  
**E X C E L L E N T I S S I M I S A C I L L U S T R I S S I M I S**  
**D O M I N I S**

**DOMINO**  
**PHILIPPO LUDOVICO**  
**U A X I G N A T I O**  
**L. B.**

**de & in FRANCKENSTEIN**

**DOMINO IN ULLSTATT, DORNASSENHEIM**  
**ECCLESIAE CATHEDRALIS HERBIPOLENSIS**  
**P RÆP O S I T O**

**IMPERIALIS BAMBERGENSIS CANONICO CAPITULARI**  
**SACRAE CÆSAREÆ MAJESTATIS**

**N E C N O N**

**REVERENDISSIMI & CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS**  
**EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS**  
**CONSILIARIO INTIMO ACTUALI**  
**P RÆP O S I T O I N W E C H T E R S W I N C K E L**

**N E C N O N**

DOMINO  
OTTONI PHILIPPO  
ERHARDO ERNESTO  
L. B. GROS  
de & in TROCKAU  
DOMINO IN GLEISENAU  
ECCLESIAE CATHEDRALIS HERBIPOLENSIS  
DECANO  
IMPERIALIS BAMBERGENSIS  
CANONICO CAPITULARI ET CANTORI  
*REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS*  
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS  
CONSILIARIO INTIMO ACTUALI  
LOCUM TENENTI WIRCEBURGI,  
BAMBERGÆ  
IN SIGNIS ECCLESIAE COLLEGIALE AD S. STEPHANUM  
PRÆPOSITO  
CÆTERISQUE

PLURIMUM REVERENDIS  
EXCELLENTISSIMIS AC ILLUSTRISSIMIS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS  
HERBIPOLENSIS  
CANONICIS CAPITULARIBUS  
DOMINIS SUIS  
GRATIOSISSIMIS  
MÆCENATIBUS SUMMIS  
*EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM*  
EA QUA PAR EST OBSERVANTIA  
MENTE GRATA HUMILI  
DAT, DICAT, CONSECRAT

humillimus subditus

F. E. GLAUBRECHT  
Oxov.



REVERENDISSIMI  
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISIMI  
PERILLUSTRES DOMINI  
DOMINI

**P**rimitias studiorum meorum Medicorum Vobis  
dicare non dubitavi, ut & pateret, quantum  
ornamentorum beneficiorumque ex Vestra  
Liberalitate Paternaque prorsus Indulgentia in me  
meamque redundaverit gentem, & vicissim devotissimi  
cultus pignus, atque gratissimi animi extaret testimo-

nium. Publicum hic Vestrarum Virtutum & in me  
collatorum Beneficiorum præconem agere debo, utinam  
buic muneri parem. Magistrum dicendi artis, non  
tyronem requirunt eadem pro meritis celebranda.  
Qualis enim paternus in subditos Vestros, Patriam  
præcipue Oxovium, Animus! quis Amor! quam be-  
nignum & gratiosum Imperium! quis Splendor ex an-  
tiquissimarum & illustrissimarum Vestrarum Gentium  
Titulis & Gestis! quis ex propriis Vestris, quique  
major est ex Vesta morum Integritate, qua fulgetis  
domi, lucetis foris, remotis etiam in Provinciis! que  
Prudentia in rebus agendis! que Fides aliena ab omni  
foco! que Humanitas, que Suavitas, que Modestia! haec  
vero ipsa mibi ulterius in laudes Vestras excurrere  
vetat, quamvis paucus admodum in eo fuerim; sed  
finem quoque dicendi non invenirem, si omnia expri-  
mere vellem, que sentit & animus gratus & Vir-  
tutum Vestrarum admirator. Serena accipite fronte  
juvenilem hanc opellam, cui si Vestrum tuleritis suffra-  
gium voti mei ex aße compos factus ero. Est enim  
aliquid suffragium eorum, qui de litteris & cogitare  
& judicare norunt. Nec pia mea dedignemini vota.  
Sit firma sub Umbone FRANCONIÆ DUCIS ADAMI  
FRIDERICI Principis Felicis, Pię, Justi, Prudentis,  
Musarum quoque Patroni, Patrisque Patriæ Clementissi-  
mi Salus & Gloria Venerandi Capituli. Stet incor-

*ruptus Illustriſſimarum Vestrarum Familiarum Splen-  
dor & Honos. Vos omnes & singuli ad ultimum vi-  
tæ humanae terminum vivite salvi & fospites. Non  
desit denique unquam mihi Vestrum Patrocinium, Ve-  
ſter Favor, quibus me in dies digniorem reddere, omni  
tempore summa animi contentione, alloborabo. Hæc  
omnia pia, devota, grata mente exoptat*

## TANTORUM NOMINUM

*humillimus ac obedientissimus  
subditus*

E. E. GLAUBRECHT, OXOV.



## L. S.



AB omni ævo fere & Medici & vulgus molestæ illi & ingratæ sensationi, quæ a dentibus affectis oritur, communi *Odontalgia* nomine venienti, quam quivis, qui illam paulo fortius expertus fuerit, cum CELSO, *de re med. L. VI. c. 9.* fortissimis & maximis tormentis adnumerari posse, consentiet facile; quæsivere remedia: ait fatali eventu invenere nulla, talia saltem, quæ cuilibet doloris dentium generi mederentur; quod minime mirum, cum tam variæ, tam contrariæ plane nonnunquam hujus doloris caußæ. *Farrago* quidem extat sic dictorum specificorum quæ *Anti-Odontalgica*, *Odontica* appellavere, quorum vero cum speratos & exoptatos effectus non semper obſervarint, refugere plane ad *Sympathiam* & *Magneten*, cuius virtutes in tollendo hoc malo, hodierno potissimum tempore laudatae, mihi ansam dedere, meas circa hæc remedia in genere cogitata & obſervationes Dissertatione ut vocant *Inaugurali* exponere: si prius in affectus hujus differentias signa, cauſaſque paulo accuratius inquisivero.

A

§. I.

## §. 1.

Odontalgia, ab *dens* & *dolor* doleo, Dolor dentium, *Mal au dent*, *Zahnwehe*, *Zahnschmerzen*, vocatur dolor, qui fit, vel in nervis ad interiora dentium penetrantibus, vel membranis eisdem cingentibus copiosis nervis dotatis, in loco dentium nonnunquam valde abdito, & saepe tam magnus est ut omnem non solum patientiam humanam, sed omnia etiam remedia eludat. Adnumeratur a BOERHAAVIO de morb. *nerv.* T. I. p. 270. morbis in quibus nervus nudatus est, & tum denti semper aliquid defieere vel in radice, vel in crusta adamantina, vel superne in superficie lata & scabra dicit. Dantur vero & dolores dentium, in quibus ipsi nullo modo vitiati, partium vicinarum lesio eisdem producit. Nascuntur hinc duea potissimum species Odontalgiae; quas Idiopathicam, ubi causa in ipso dente haeret, & Symptomaticam, ubi via partium vicinarum, vel alias morbus eidem malo ansam praebuerit, appellare licet. Reliquas minus attendemus distinctiones quo in mitem vel fortem distinguunt, vel vagum & periodicum, cuius plura profert exempla MEDICUS *Geschichte periodisch. Krankh.* P. I. C. II. §. 25. p. 88. qualemque in juvene observavi, qui anno etatis decimo sexto ex obstruktionibus infimi ventris morbillisque sub initium etatis convalescens, per totam reliquam etatem quolibet die Veneris, post prandium, dolore dentium corripiebatur & per 24. horas eodem tenebatur, donec tandem, sub autumno, paroxysmi qui ab initio quolibet octavo die ingruebant, decimo quinto quoque folummodo recrudescabant, breviores sensim facti, tandemque plane non amplius recurrentes. Sporadicus quidem semper fere est, Epidemicum vero quoque observavit aliquo modo SCHROECKIUS Augustae Vindelicorum anno hujus seculi primo. EPH. N. C. Cent. I. & II. App. p. 3. aliquie Differt vero & dolor ipse; modo enim est acutus, pulsatorius, lancingans, rodens; modo obtusus, distendens magis: Ex cujus differentibus qualitatibus jam aliquo modo supra dictae species dignosci solent.

## §. 2.

Idiopathica comitem habet dolorem magis acutum, pulsatorium, plus minusve lancinginum & rodentem; Symptomatica vero obtusum, distendenter potius. In idiopathica dolor uni vel altero denti affecto inhæret, nullaque alia conjuncta habet symptomata, quam quæ necessaria doloris aut diu durantis, aut atrocioris sunt sequelæ, nullaque alia oris deprehenduntur vicia, nisi quod sub finem tumor utplurimum in gingivis soleat oriri: in Symptomatica vero dolor diffusus magis unius lateris maxillam unam vel alteram nonnunquam integrum tenet, gingivas viciatas, appetitus vicia, rheumatica

matica symptomata, cephalalgiam, otalgiam, nonnunquam plane febrem cōmitem habet. Notandum præterea in Idiopathica utplurimum quidem dentem affectum cognosci ex signis cariei communibus, interdum tamen & latet eadem, variis sese signis proditura paulo expertiori; vel ipso colore, qui pellucidus magis est, haud ita opacus albus, sed magis corulefcens instar margaritarum; lancingationis præterea sensu ab aere vel aqua frigidis, fœtore oris & præcipue dentis, ejusdemque sensibilitate ab admoto dentiscalpio, præcipue ferreo. Sedes utriusque speciei sunt nervi dentium, hac cum differencia, ut in Idiopathica magis nervi interni, in Symptomatica vero nervi perioleum externum perreptantes magis patientur: quamvis interim & illud haud negandum, utrasque species saepe ita combinari, ut an symptomaticus an idiopathicus dicendus sit dolor? anceps admodum, hæreas.

## §. 3.

Etiologiam affectus nostri quod attinet causa proxima ejusdem est iritatio nervorum in vel extenorū dentis, seu rosio, pressio, tensio dolorifica eorundem. Hanc TISSOT AVIS au peuple T. I. ch. VIII. p. 128. derivat 1) a carie dentium, 2) ab inflammatione nervorum aut membranæ dentes cingentis, quæ gingivarum quoque inflammationem post se trahit, 3) a destillatione humoris frigidi catarrhalis ad has partes; quibus §. 143. acrimoniam generalem massæ sanguineæ, nec non metaftasim materiæ podagræ, arthriticæ ad hæc loca, ceu causas minus principales, subjungit. Caries, dum osseam dentium substantiam destruit, nervos eorundem nudo exponit aeri, qui dolorem proinde creat lancingantem; dum vero & simul ab acrimonia quadam dependet, iisdem nervis rosionis sensum imprimet. Ab inflammatione quando oritur dolor, impermeabilitatem vasorum minimorum membranarum dentis, vel a copia, vel a stagnatione humorum, cauſam agnoscit, vasa vero ipsa obſtructa, diftenta premunt nervos: dolor hinc in hac specie acutus pulsatorius. Materiæ catarrhali frigidæ ad has partes destillanti si debetur, tunc vasa serosa lymphatica eodem modo peccant, ut in superiore sanguinea & cum insigniter in hac specie humore turgeant, nascuntur inde tumores, genarum præcipue; in hac specie dentium nervi proprii proxime non afficiuntur, sed solum per communicationem; quinti enim paris rami, ad exterieos magis faciei partes tendentes, nec non dura nervi auditorii portio, quæ ad processum mastoideum egreditur, ad varios faciei & auris musculos abiens hic magis dolet, unde conjuncta huic speciei otalgia, dolor magis diffusus, distendens, obtusus quoque derivanda. BOERHAAVIUS hinc l. c. p. 285. destillationem materiæ catarrhalis a causis odontalgiae excludit ita dicens: *Si odontalgia oriretur a destillationibus, illa in decrepitis senibus & aniculis deberet esse major & frequentior, quam in tota*

tota vita precedenti, nam in senio destillationes sunt omnium maxime & frequentissimae; hoc vero quum non appareat, patet, quod Odontalgia sit affectio topica dentis, que ab ejus nervis pendet. Nonne vero affectis dentibus maxillaribus, dentium quoque nervi proprii, qui eorundem sunt ramifications dolebunt, quamquam obtusius? nonne quoque in senibus ob defectum dentium faciliores destillationes ad alia loca, cerebrum, fauces, narres, bronchia? Quo ergo jure hanc defluxionem catarrhalem ex odontalgiae causis & speciebus proscribere velit non video, quamvis illud concedendum, saepissime & in hac specie topicam quandam concurrere caussam. Acrimoniam humorum quando pro causa minus tamen principali odontalgiae agnoscit TISSOTUS l. c. a labe scorbutica, venerea, scrophulosa illa dependebit, cum praecipue sit ea scorbutici & venerei virus indoles, ut dentibus & gingivis admodum insidentur, acrimonia vero haec molesta ratione nervos afficit: eundem ferme in modum dolores creat materia arthritica aut podagræa, hic delata, a qua si ortum traxerit dentium dolor, specialius illum *Odontagram* sive *Podogram* dentium vocare soleat. STROBEL-RERGERUS de dentium podagra.

## §. 4.

Præter memoratas causas, Veteres odontalgiam quoque deduxere a vermis nec non a flatibus, quas vero recentiorum plures rejecere. Vermes quidem quod attinet, anne causa hujus doloris nonnunquam sint, an non? anceps haereo pronuntiare. Tot enim tantaque apud Autores de hisce animalculis observata in dubium vocare, aut ea, que hi autores pro vermiculis habebant, cum Clar. DE SAUVAGES *Nosol. Meth. T. III. P. I. Cl. VII. ord. II. n. 16. p. 104.* pro frustulo nervi vel vasis resecti habere, admodum mihi videtur durum, licet eorum animalculorum existentiam auopta minime asserrere possim. Et si etiam cum RHODIO in notis ad SCRIBONII LARGI *Compos. 54. p. 95.* vel propietate sua hyoscyamum vermiculos giguere, vel pituitam crassam, suffitu ejus prolectam, vermis non esse dissimilem, (quam tamen hyoscyami proprietatem nemo hactenus demonstravit,) assumere vellem; tamen mihi adhuc restaret dicere, unde vermiculi vel in Observatione CLAUDERI EPH. N. C. *Dec. II. Ann. V. Obs. 192.* nec non PECHLINI l. c. in fronte dissertationis, ubi hocce minime adhibitum fuit. Sub putredine quidem vermes generari nemo negabit, hanc vero & hic fieri monstravimus, ergo & vermes; an vero cauſa doloris primaria & proxima existant, alia res iterum. Flatus vero ventosus, aut ventositas, quomodo juxta GALENUM *de comp. medic. secund. loc. L. V. c. 9.* odontalgiam cauſare poterit non perspicio, concedam licet AVICENNÆ *L. III. feu. 7. tr. I. c. 4. & 5.* omne apostematum genus, ergo & a flatibus, dentibus accidere posse, quomodo enim hi dentibus includi & quia vel calidi, vel frigidi, vel acres dolorem parere possunt.

## §. 5.

Ministræ vero five occasio[n]ales §. 3. allegatarum caufarum iterum variæ esse possunt. Virtus statim varia ratione rerum sex non naturalium ; ratione quidem aeris , subitaneæ ejusdem mutationes ex calido in frigidum, frigus improvide hic susceptum , nec non res gelidae dentibus applicitæ , aut ore diutius retentæ. HIPPOCRATES jam Aph. V. 18. ait : *Frigidum iniumentum ossibus, dentibus, nervis &c. ratio in promptu : Frigus vasa sanguifera constringit, corrugat, angustat; sanguinem condensat & congelat, motum hinc ejusdem circulatorium & intellectinum suppressit, partes mortificat; eodem modo agit in fluidum nervorum, nervosque ipsos.* Gingivæ vero sunt pars maxime vasculosa corporis, cute carens, tenuissima tautum membranula tecta, aëri externo maxime exposita; facilissime ergo hic oritur inflammatio ; cum vero gingivæ ramos vasorum suorum ad dentes ipsos quoque legant, quamvis proprie dentibus non accrescant, ita ut etiam rudiore digito abinde possint separari, tamen per eosdem dentibus quoque suos communicant morbos; inflammatis gingivarum vasis oritur tumor in superficie quidem dentium, cum in interioribus dura dentium compages renitat, tumore vero orto, vasa gingivarum ad dentes tendentia separantur, runtpuntur, si nempe major fuerit; hoc modo maxima ex parte quoque nutrimento suo orbantur; pallescit hinc dens, nigrescit, cariem concipit, quæ nervum tandem interium nudo exponit aëri, & hinc nascitur BOERHAAVIO l. c. species odontalgiae prima, ubi causa non in ipsis dentis nervis habet. Quod vero frigida faciunt, facit & calida, sepius & diutius ore detenta. A cibis exedi & corrodi dentes jam dixit HIPPOCRATES *regi redi* c. 5. T. II. p. 164, Edit. Lind. Hærent nempe semper iis in interstitiis, ubi vel gingivæ laxe admodum adhærent dentibus, vel dentes ipsi talia inter se relinquunt, aut plane in cavis eorundem, particulae quædam ciborum; haec vel propria acrimonia, aut illa, quam per putrefactionem acquirunt, cruxam dentium exteriorem destruunt, nigris maculis defoedant, & illam cariei speciem producunt, quam sicciam, indolentem, externam, quoniam ab exterioribus incipit & ablique doloribus esse solet, auctores vocant, FAUCHARD Chirurg. Dent. T. I. p. 119. partes haec ciborum, dum in putredinem abeunt, in mucum illum vertuntur, qui radicibus dentium sese agglutinat, quique ab exhalationibus & stomacho, debili præcipue & hinc lente admodum digerente, fovetur, qui tandem, nisi dentes abinde sollicite repugnent, lapideam fensis acquirit duritatem, & instar tartari in dolio, dentibus accrescit, unde & Tariari, Tartre, Tuf, Weinfest, nomine venire solet: vocatur & *Lithodontes*, *Lapis Dentalis*: is admodum funestus esse solet dentibus, dum gingivarum cum iisdem commercium & hinc eorundem nutritionem impedit,

dit, cariem primo siccum iis conciliat, progressu nervos dentium nudo exponentem aéri, facileque in aliam, quam humidam vocant, transeuntem. Præ aliis alimentis salita cum viscido quodam conjuncta hoc efficiunt; hinc facecharata, hinc caseosa, fumo indurata, dentibus adeo nociva, proxime accedunt acida, austera; acria viscida præterea alia alimenta aut potulenta, dum massam humorum eadem qualitate inficiunt, solent esse funesta iterum dentibus modo. Reliqua in sex rebus non naturalibus vitia, dum vel plethoram causantur, vel eandem commovent & sanguinis simul orgasmum excitant, hac ratione partibus his antea debilitatis solent esse funesta: ad priora pertinent excretiones sanguinis consuetæ suppressæ vel neglectæ, temperamentum sanguineum, ætas vegeta, victus laetus, vita sedentaria: ad posterius motus corporis fortior aut diuturnior, vigiliae, passiones animi fortiores, iracundia, venus. Sunt vero & externæ quedam cause dolori huic ansam subministrantes, ut diffractio rerum durarum e. g. nucleorum, ossium, qua violentia dentes moventur, luxantur, nonnunquam plane franguntur, & deinceps internus dentis nervus, interna ejus membrana nudo iterum exponuntur aéri; aut faltem alveoli perforantur & tunc dens gingivam attinens eam inflammat, tumorem creat, qui suppuratione iterum evanescit; cum vero dens sic semper promineat, recidivam facile patitur gingivarum tumor & Chirurgis deinde nonnunquam sub exostose forma imponit; tertiam hic casus BOERHAAVIO l. c. odontalgia speciem sifit, a qua parum differt quarta ejusdem, orta a perforatione infimi antri Highmoriani lamellæ per radicem canini superioris justo forsan longiorem, nisi quodam fortissimo: hæc enim ait inflammationem facit in periosteо subtilissimo hujus antri, quod intumescens viam in nares occludit: suppuratione hinc natus humor corruptitur qui viam sibi legens pessimi generis ulcera nonnunquam producit; & hasce species intelligent auctores quando de odontalgia fistulosa sermonem faciunt. Denudant vero & dentes instrumenta metallica dentis calpiorum instar usurpata, irritant, cruentant gingivas, dentes ad cariem disponunt. Hinc jam MARTIALIS Epigr. L. XIV. Ep. 22.

*Lenticum melius: sed si tibi frondea cuspis*

*Defuerit, dentes pena levare potest.*

Ad occasioнаles causas adhuc pertinent acrimonia scorbutica, aut miasma veneereum a parentibus congenita, aut a nutricibus acquisita: virus itidem veneereum per sola oscula Florentina, lingulations suscepimus, gingivas, dentes, palatum proxime exedens, absimens, monente VALENTINI & FUCHS *Diss. de vacillatione casu & palingenesia dentium Gieß. 1727. c. 2. §. 3. p. 15.* Variū aliū morbi prægressi e. g. icterus FAUCHARD l. e. T. I. p. 102. hysteris & hypochondriasis RAULIN de morb. vapor. p. 25. Remedia denique ipsa ad conservandos vel mundandos dentes adhibita, tabaci fumus, crustam dentium adamantinam corruptentia: mercurius denique improvide a diversis opifici.

opificibus susceptus, aut in venereis subjectis a Chirurgis aut Medicis inconsideratius adhibitus, qui gingivas intumescere facit, erodit, destruit, in ipsis plane dentium membranas eodem modo agit & hinc dentes eradicit, excidere facit FAUCHARD l. c. Unde vero dentium dolor maritorum loco conjugum utero gerentium, quale exemplum profert WURFFBAIN EPH. N. C. Dec. II, Ann. X. obs. 205. p. 410. Nonne hoc potius cum PRIMEROSIO de vulg. error. in med. L. II. C. 13. iisdem annumerandum? Quare quoque in HANNEMANNI uxore Act. Med. Hafu. BARTHOLINI Vol. III. obs. 17. p. 30. gravida, dolor dentium alias ipsi solennis evanuit, non redeuns nisi post partum, cum tamen pluribus foemini odontalgia conceptionis e contra soleat esse signum?

## §. 6.

Enarratis variis odontalgiae causis antecedentibus & occasionalibus, neminem amplius mirari debet, eandem tot variis apud Auctores occurtere epithetis, ita ut mox cariosæ, mox fistulosæ, inflammatoriæ, catarrhalis, gravidarum, scorbuticæ, venereæ, verminosæ, hystericæ & cuius non mentio apud eosdem fiat. Pro differentibus vero his causis, differentes iterum nobis circa hunc affectum occurrunt formandas prognoses. In genere Odontalgia quo gravior & diuturnior, eo pejora conjuncta habet symptomata, febrem, agrypnias, convulsiones, deliria. Legimus apud BORELLUM Hist. & obs. phys. med. Cent. III. obs. 8. p. 203. de rustico quodam tanto dentium dolore detento, ut post phrenitidem in syncopen etiam incideret, adeo ut pro mortuo saxe habitus fuerit. Pertinacior, diuturnior atque frequentius recurrens solet esse illa, que a carie profundiore, dentium partes magis internas infestante, originem trahit: epulidi & parulidi familiaris solet esse haec, qui tumores nonnunquam plane in scirrhos, ulceris, fistulas, cancrum, quem Belgæ monente BOERHAAVIO l. c. p. 277. Wateranker aquatum appellant, abire solent; solent hic, eodem teste, gingivæ inflammatæ, continuo humectatæ aérique expositæ in tabum verti & in liquamen mucilaginosum foetidissimum abire, gingivarum corruptio augeri semper per affluentem copiam salivæ & liquoris aquosæ exhalantis, maxilla denudari, carie quoque ipsa corripit: & haec ipsi secundam odontalgiae speciem constituit; quatenus non a dentis nervis oritur. A Plethora aut sanguinis orgasmo oriens, faciliter tollitur ea, quæ a sanguine & sero vitiatis dependet, si præcipue illud vitium hereditarium, ubi fere incurabilis & habitualis. Habitualis quoque fit hypochondriacis, hysterics, scorbuticis, venereis, quoniams ob corruptos acres humores frequentius recurrit, debilitatem parti affectæ tandem conciliat & corruptionem plane dentium post se dicit: talis acrimoniae forsitan exemplum illud MORGAGNI de sed. & caus. morb. L. I. Ep. 4. n. 2. T. I.

**T. I.** p. 25. ubi Vir nobilis per viginti annos falsæ salivæ copiam ejecit, quæ ei sensim omnes ex suis alveolis excusit dentes. Idiopathica a carie dentium magis solet esse solemnis ab anno ætatis vigesimo quinto ad quinquagesimum; a plethora sanguineis, foemini præcipue ob menstruum negotium vel retardatum vel suppressum, & hinc gravidis solemnis; ex lochiorum obstructione observavit HOFFMANNUS Eph. N. C. Cent. X. App. p. 460. insignem odontalgiam. Catarrhalis sudore nonnunquam largo fitur.

## §. 7.

Curatur in genere dolor ejus vel causam vel sensum tollendo. Causa vero doloris hic est nervorum dentis in vel externorum irritatio, rosio, pressio. Hæc dependet vel ab ipsorum denudatione, vel alia quacunque causa premente rodente. In denudatione nervi, aer eundem irritat frigidior, hujus ergo accessus præcaveri, aut nervus ita mutari debet, ut nihil amplius inde pati possit; acre irritans, premens quodcumque auferri, removeri, aut iterum nervi cum hoc commercium tolli; acre vero rodens, premens pro diversa sua indole diversis iterum debellari debet remedii. Quam varia hinc medicamenta in odontalgia usui esse possint per se patet. In genere omnia ad quatuor revocabimus classes, sub unaquaque indicaturi in quanam potissimum specie doloris quæcumque convenientia. Prima nobis Classis Chirurgica remedia sistit; altera Pharmaceutica, Tertia Sympathetica, & quarta tandem Magnifica.

## §. 8.

## Ad Chirurgica pertinent

I. Repletio dentis per plumbum, stannum, aurum foliatum, ceram &c. vocant hoc Galli *plomber une dent*. Eum in finem proprie instituitur ut & a foribus & ab aeris externi injuria, nec non ab ulteriore corruptione, quam diutissime maneat immunis. Olim vel linamento, vel bene accommodato plumbo dentes, quos forcipe excipere volebant replebant, ne sub forcipe confringentur, teste CELSO de Re Medica L. VII. c. 12. Locum invenit absente omnino odontalgia, non nimis tenui existente dentium corpore, nec vacillantibus iisdem & tunc plumbo accommodato seu lamellato cui nonnulli ex opinione aurum lamellatum, quod tamen nimis pretiosum, nec magis utile præferunt, seu melius adhuc stanno lamellato cum gossypio dentis cavitatem exacte replent, prophylacticum uti diximus in finem. Cau- telas circa, eandem observandas nobis bene tradit FAUCHARD L. c. T. II. p. 66. Et seqq. Replent quoque dentes cera vel mastiche AVICENNA L. I. c. II. jam ait: *Est vehemens ad sedandum dolorem aut cera sola, aut cum medicinis, aut cum lycio, dragacanto, denti indita & ante eum*

GALE

GALENUS *l. c.* ex ARCHIGENE refert dentium dolori conferre ceram denti dolenti impositam. Cum vero cera ipsa facilius excidat iterum, hinc replegio per plumbum præferenda, quæ ad triginta & ultra annos dentes præservat teste FAUCHARD *l. c.* Cera interim repleri possunt dentes usque dum repletionem per plumbum admittant.

II. Cauterisatio quæ vel actualis vel potentialis. HIPPOCRATES *mag. n. l. c.* si non corrosus est dens, neque movetur, dolorem autem exhibet, per unctionem resicetur, præcipit. GALENUS iterum ex ARCHIGENE nec non AVICENNA *ll. cc.* perfractis & dolentibus dentibus cauterium ignitum admoveare monent & ut virtus cauterisativa penetret, quandoque necessarium esse ut perforetur dens perforatorio minuto. Modum quomodo cauterium applicabant nobis exhibet AVICENNA *l. c.* Instituitur hodie optime ferri filiformis dentis foraminis aptati & candens repetita applicatione, eum in finem, ut nervus comburatur, hincque dolor tollatur, dum nulla amplius materiae rodentis in nervum actio: progressum quoque cariei fistit, sed non semper ita, ut non interdum necessaria sit repletionem dentis per plumbum subiungere, quam, cum ob sensibilitatem aliquam remanentem, non statim semper instituere possint, cavum interim goffyptio torto replet, monente FAUCHARD *l. c. p. 85.* ubi & cautelas circa eam observandas fusius exponit. Non solum vero ipsos dentium nervos adurebant Veteres, verum etiam ipsis gingivis candens admovebant ferrum, in commotis dentibus, vel propter radicum imbecillitatem, vel gingivarum marcescentium vitium, ita tamen, ut leviter solummodo attingat, non ut infidat CELSUS *l. c.* Quod cauterium actuale facit, idem & potentiale efficit: Veteres forsitan hunc in finem jam radicem pyrethri, piper aliaque talia dentum cavis intrudebant: Recentiores hunc in finem utuntur variis oleis destillatis æthereis, caryophyllorum, cinnamomi præcipue, buxi, salviæ, myrræ, cum goffyptio exceptis, dentique intrusis, præstant hæc pulvere euphorbii, spiritu vitrioli, aut aqua forti mediante specillo laboranti denti applicatis, quod nonnulli pro oleo heracleo antiquorum assument; eundem in finem oleum chartæ combustæ, aut baculi coryli combusti, orbe stanneo exceptum, mediante bombace, denti inditum, vulgus adhibet.

III. Eulisio, quam monente CICERONE *de natura Deorum L. III. c. 22.* AEscULAPIUS primus invenit, HIPPOCRATES *mag. n. l. c.* primus suadet, dum doloris sedem, nonnunquam & causam citissime destruat, promptissimum erit auxilium illis, qui dentium doloribus nullis aliis mediis obtemperantibus diu jam fatis excruciat furent. In dentium ergo carie profunda, ubi forsitan maxillæ quoque cariem metuimus, in fistula dentis, aut alveoli, aut maxillary præsentaneum & fere unicum exhibet auxilium; iis etiam in casibus celebrandum, ubi dentes incongrue nascentur, aut forsitan ubi laetæ caduci pierorum dentes vacillant. Summa cum prudentia institui debet hæc operatio ideoque nonnisi artis peritioribus relinquiri, quanquam in ea nonnunquam

exercitatissimi circumforanei balatrones; nunquam sub summo urgente dolore, quod CELSUS jam monet, *i. c.* nec in paroxysmi vigore, aut ubi tumor jam gingivas tenet, debet fuscipi, cum fortiorum ob irritationem, hoc modo factam major contingat humorum quoque affluxus & hinc haemorrhagia enormis, nonnunquam plane fatalis succedere soleat, quam artis peritus præcavebit, depletione vasorum, nec non derivatione humorum per Venæ sectiones aliaque medicamenta convenientia præmissa; sifet autem vino, aceto fortibus, vel plane spiritu vini rectificatissimo, sèpius ore detentis, aut aliis stipticis fortioribus pro ratione circumstantiarum. Cautissimus quoque sit gravidarum si dentes extrahere debeat; quænam enim exinde in foetum quoque redundare possint mala, cuilibet patet. Probe quoque dentes eradicandos examinet, anne concreti cum vicinis, ne ipsi simile aliquid accidat, quod agyrta cuidam accidit, qui duos maxillares sibi & maxillæ per contumuitatem concretos imprudenter extraxit, observante CRAUSIO EPH. N. C. Dec. III. ann. 5. § 6. obs. 270. p. 620. Ulteriores nobis iterum circa hanc operationem cautelas observandas dat, sèpius jam laudatus FAUCHARD *i. c. p. 130.* § 5. Eandem operationem & per medicamenta sola efficiebant Veteres; ut jam taceam, quod PLINIUS H. N. L. XXX. c. 3. ceu vanum ipse refert angues candidos membranam exuere canis ortu, hanc vel inveteratam cum cera celerrime dentes evellere: GALENUS *i. c.* Pyrethrurum in aceto acerrimo per aliquot dies conditum, tritum & impositum, vicinis dentibus cera præmunitis, denti probe mundato, si per horam eodem tegitur, efficit, ut dens manu aut scalpello eximi possit, si vero per aliquot dies, dens sponte excidet; eodem modo præparatæ radices cucumeris sylvestris & applicatae, idem efficiunt; sory cum aceto acerrimo ad multos dies impositum, plumbago trita cerato excepta, tithymali succus & sory cum chalbanio imposita idem præstant; summo jure hæc vero exoluere, cum securius, & celerius auxilium in ipsa dentis evulsione habeamus, quod quamvis dolorificum, tamen haud ita tædiosum.

## §. 9.

Sunt hæc potiora remedia Chirurgica in ipsum locum affectum proxime agentia, Veteribus minime ut vidimus ignota. Quod si jam alia remedia Chirurgica quoque, quo dentium alii vitiiis *e. g.* inæqualitatibus & excrecentiæ eorum per limam EGINETA L. VI. c. 28. & ante eum GALENO *i. c.* teste, vel vacillationi ex iectu aut casu, auro labantes cum bene hærentibus vinciendo, CELSO *i. c.* jam notante, aliisque prospiciebant, iis quoque nota fuisse consideramus; quo tantopere recentiores, de arte hac ad summum fastigium ab ipsis præ antiquis evecta, gloriantur, non videamus; quamvis illud recentioribus minime denegandum, eosdem quoque ex ulterius exulta hac arte, eam quoque pulchris suis multis inventis ditasse circa

circa quæ præter sèpius allegatum FAUCHARD *l. c.* BUNON & BOURDET *de arte Chirurgi dentarii tractatus*, gallico quoque idiomate conscripti, consuli mereuntur. Pertinent vero ad Classem Chirurgicorum remediorum adhuc ea qua non immediate denti applicantur, quo referuntur:

I. Venæfæctio. Hæc nimiam humorum copiam evacuat, vasa deplet, sanguinis affluxum revellit, ad alia loca derivat, hincque in Odontalgia a plethora, uti in gravidis, ab inflammatione gingivarum, ubi jam eam laudat GALENUS *l. c.* optimum & primarium nobis sifist auxilium, ut non mirum quod eandem statim ab instituta venæfæctione cessasse legamus, apud FORESTUM *obs. 3. L. XIV.* ubi antea multa remedia, anodyna quoque incasum fuere adhibita; in causa frigida eandem quoque suadet RIVERIUS, quamvis in minori tum copia sanguinem mittendum esse censeat: nec negligenda erit unquam eo in calu, ubi fortior dolor, febris, deliria, aut plane convulsiones concurrunt: ejus vicem gerunt:

II. Arteriotomia quam RIOLANUS *Anthropog. L. IV. c. 5.* suadet,

III. Scarificationes. Scarificant autem præcipue gingivas, idque jam annotante PLINIO *H. N. L. XXVIII. c. 1. 9. II. XXX. c. 3. XXXII. c. 7.* videtur vero hic auctor plus tribuere instrumentis ipsis, quorum ope perficitur, e. g. denti vi interempti, hippopotami, enhydridis, pastinacæ piscis radio & quibus non? quam ipsi scarificationi; quæ, dum sanguinem hic stagnantem, hucque fortius affluentem evacuat, dolorificam hinc vasorum distensionem, nec non nervorum pressionem tollit, iis potissimum in casibus openi fert, ubi plethora vel inflammatio ansam odontalgiae dederint: & hæc ratio curæ illius sympatheticæ dentium doloris, qui aufertur, si falici, per corticem vulneratæ, assula, sanguine ex loco dolente tincta, inseratur, super inducto iterum cortice: aut uti CROLLIUS *Basil. Chym. p. 483.* ait: *Siquis dentis dolentis gingivas tamdiu scalpello scarificet, donec sanguinem emitant* & *scalpellum hoc post excisionem sanguinis innigat unguento sympathetico.* In aliis speciebus a dentis ipsius vitio, aut ab humorum acrimonia scorbutica potissimum dependentibus, ubi gingivæ atrorufescente sanguine turgidæ, eodem modo liberantur, nonnunquam palliativum erit remedium scarificatione; ubi tamen dolendum, sèpius repetitum hoc remedium plus semper debilitate locum affectum, fortiorem hinc ad eundem sollicitare affluxum, novo semper dolori producendo aptum, doloremque tandem ipsum nullo alio fere medicamento amplius sifisti posse. Scarificationem autem non solum instituunt in gingivis, sed & in aliis locis; SPIGELIUS auris antitragum vel lanceola scarificare vel ferro candente urere jubet, quem locum exactius determinat VALSALVA, derivandi forsan & revellendi in finem; cum vero meliora & efficaciora habeamus remedia, melius ab eadem abstinemus.

IV. Sanguisugæ, quas AVICENNA *l. c. 6.* ad radices dentium applicare jubet.

V. Cucurbitulæ cervici, dorso, scapulis applicatae, quæ vicariæ sunt sanguinis ventilationes.

VI. Ligature extremorum, quas SENNERTUS *Praet. L. II. P. I. C. 11.*  
*p. 265. T. III. Opp.* suadet, quibus comprimuntur venae & sanguinis fluxus  
 ad caput & dentes imminuitur: dolorosæ vero nimis hæc quoque.

VII. Epispastica varia sub nomine finapismorum, phœnigmorum, rubefacientium, vesicantium nota, sub epithematis vel emplastrí forma applicata pone aures, nuchæ, temporibus, ubi peculiare topicoram nomen acquirunt, humero, flexuræ cubiti, carpo, ipliis denique gingivis & dentibus nec non mento; CELSUS jam *E. VI. c. 10.* tale humero partis ejus, qua dens dolet imponendum suadet, pretiosum cum levavit submovendum; dolorificum nimis videtur, illud quod PLINIUS *H. N. L. XXVIII. c. 11.* dentibus mederi dicit, fabrile nempe glutinum, in aqua decoctum illitumque, & mox paulo detractum, ita ut confestim colluantur vino, in quo decocti sunt cortices malii Punici. Melius talia pone aures, ubi arteria ad maxillas tendens decurrit, imponuntur, aut etiam remotioribus in locis ad derivandum affluxum humorum pituitamque viscidam evacuandam; in hunc finem ranunculi species quasdam, quas PLINIUS *L. XXV. c. 13. H. N. vi.* caustica quadam gaudere perhibet, si cruda folia imponuntur, ita ut pustulas ut ignis faciant, vel cubiti flexure ejus lateris cuius dens dolet indunt, GALENUS *L. c. c. 9.* aut allium cum pipere, quod allium peculiariter quoque vi adversus dolores dentium agere Veteres crediderunt: Humores vero & derivant, pituitamque viscidam evacuant abundantem:

VIII. Fonticuli in brachio.

IX. Setacea nuchæ applicata.

X. Clysmata quæ etiam jam suadet CELSUS *L. VI. c. 10.*

XI. Pediluvia.

XII. Frictiones. Valent hæc potissimum quoque iis in casibus ubi materiae falsæ, acris defluxus ad dentes huic malo anfam præbet.

### §. 10.

#### Inter Pharmaceutica occurunt

- I. Evacuaria. Evacuari autem debet pituita, quod obtinetur per
  - a) Laxantia, phlegmagoga ex mente AVICENNÆ *L. c. c. 6.* cum eo quod sit sicut hiera & pulpa coloquintidæ, aut scammonæ, aut sicut infusiones. PISO de morb. ab aq. se quam diutissime ab odontalgia immunem reddidit, dum assutum bolo ex cassia & diaphœnico, aquam sinceram copiose evomuit; non ergo semper resifosa illa aut purgantia stricte sic dicta requiruntur, sufficiunt quoque leniora eccoprotica, digestiva, salina.
  - b) Vomitoria illud præstabunt quoque, uti ex ipsa PISONIS *L. c.* historia nec non CRATONE colligere licet. *L. IV. Epist. penult. p. 284.*
  - c) Diaphoretica, expellendo per cutis poros superfluos humores aquos,

fos, acres; diaphoresis vero jam commendat CELSUS *ll. cc.* ubi & sudoris, & pituitæ profluxionem ex ore, sequi afferit doloris cessationem & annuam saepe valetudinem bonam. Particulariter magis præstant id

d) Diuretica per vias urinarias. Maxime vero hic jam a Veteribus quoque celebrantur:

e) Errhina f. sternutatoria, ptarmica, vel sub forma pulveris subtilissimi inspirando in naribus suscepta, uti hellebori pulvis, nec non tabaci sternutatorii variae species; vel integra naribus intrusa, uti betonica sola hoc modo curavit rusticum BORELLUS *l. c.* vel sub liquida forma, uti a Veteribus laudatus succus betæ, anagallidis, nec non collyrium ex cumino, myrrha, interiore cucumeris & lacte muliebri, in naribus detentum per tempus, & inspiratum conf. GALENUS *l. c.* aut secundum recentiores, Spiritus lavendulae, rorismarini, ipse quoque liquor andynus Hoffmanni, fortius paulo inspirati.

f) Masticatoria salivales ductus ad copiosorem stimulantia secretionem. Huc Veteribus jam celebrata pyrethri radix, staphidisagriæ semen, mastiche, &c. ore vel volutata vel dentibus applicata ipsis: a recentioribus hunc in finem laudatam nicotianæ foliorum masticationem insigne odontalgiae remedium extitis RIVERIUS *Cent. IV. obs. 31.* testatur. Fumum ejusdem fistula exceptum ore, salivæ profluxum excitare quis non novit? illunt ergo & inter apophlegmatizantia ut Veteres vocavere hæc remedia, quæ pituitam aquosam vel per os vel naribus eliminant, militare per se patet; pertinent ad hæc apophlegmatizantia suffitus variæ præcipue ex hyoscyami semine, gargarificationes & collutiones oris, quos recentere nimis longum foret. Sufficiat annotasse, hæc quoque ex Veterum hinc inde jam allegatis colligi posse locis. Videlicet ex dictis, hæc potissimum medicamenta iis in casibus convenire ubi de fluxiones catarrhofæ doloris causa fuerint.

H. Emollientia sub forma fomentationum, collutionum, cataplasmatum exhibita, dum fibras tensas relaxant, omnibus gingivarum dentiumque inflammationibus eximiam ferunt opem; simpliciter hic CELSUS iterum *L. VI. c. 10.* per spongiam, vaporem aquæ calidæ dentibus admovet & cataplasmatu super maxillam injicit, aut liquorem calidum cum medicamentis quibusdam ore continet & saepius iterum mutat. Conveniunt hic præ aliis, species emollientes, radix althææ, liliorum alborum, ficus itidem in lacte decoctæ præcipue si gingivarum tumor aut emoliendus quoque, aut ad suppurationem plane ducendus; IDEM agrestium experimento suadet, herban mentastrum cum suis radicibus evelti debere, & in pelvim mitti, supraque aquam infundi, collocarique juxta sedentem hominem undique veste contectum; tum in pelvim carentes silices denitti, sic ut aqua tegantur, hominemque, eum hiantem ore vaporem excipere, undique inclusum; relaxant & oleosa varia, butyrum.

tyrum recens non salitum, oleum olivarum recens, amygdalarum dulcium, lentisci; hæc cum simul acrimoniam corrigant, obvolvendo nempe parietes vasorum, ne particulæ acres eas irritare, rodere valeant, & ex hoc capite veniunt laudanda; forsitan & hoc ex capite cerumen aurium denti dolenti illitum ejus dolores sedat. Proxime his accedunt

III. Discutientia & Resolventia, quæ stasin inflammatoriam humorum resolvunt. Huc pertinent facculi ex herbis & floribus emollientibus discutientibus, aromaticis, parietariæ, mercurialis, floribus sambuci, meliloti, verbasci, farina fabarum, sale tolto, camphoræ pauxillo, aut spiritu vini camphorato irrorati, decocta porro herbarum aromaticarum, foliorum lappæ, lapathi acuti in vino vel aceto, ore detenta, quorum plurima jam exhibent CELSIUS, PLINIUS, GALENUS &c. II. cc. urina quoque humana cum spiritu vini mixta in ore detenta, aut etiam recens, calida adhuc, sola, ex mente ZWINGERI Theatr. Prax. med. T. I. p. 325. lixivium commune, haud adeo acre, ore per aliquot tempus detentum, in auriga dentium dolorem acerbissimum sedasse vidit HOFFMANNUS Diff. de Remed. ant. odontalgicis Resp. SÜSSE Hal. M. 1700. §. 16. id ipsum in DOLÆ Encyclop. Chir. p. 528. jam laudatum inveniens. Camphora denique ipsa instar omnium vel per se denti indita AVICENNA I. c. c. II. aut cum aliis mixta, uti cum variis essentiis mixtum spiritum vini camphoratum prædicat HOFFMANNUS M. R. S. T. IV. P. II. S. II. C. X. p. 476. aut idem naribus exceptus ad aliquot guttulas. Hæc medicamenta in qualibet Odontalgia ab inflammatione erunt celebranda, dumque simul leniter adstringunt & in aliis ejusdem speciebus haud erant spernenda, in catarrhalis præcipue ubi & apophlegmatizantium instar agunt. Proxime his accedunt

IV. Adstringentia quæ iterum sub decoctionum forma ore detinere jubarunt Veteres aut sub emplastrorum dentibus ipsis applicare, eo in casu ubi gingivæ laxæ, aquoso fere diffuentes latice sunt firmandæ: balauitia, malicorium, gallas, nuces cupressas, vel in vino vel in aceto hunc in finem decoquunt, alumen itidem, quod & inspergunt, emplastra ex mastiche, elemi Tacamahaca &c. vel dentibus, vel pone aures applicant, ad tempora itidem. Veteres præparmis in horum applicatione largiores: sed cum sint fortioris paulo adstringentis, hincque humores per arterias defluentes repellant, reprimant aliquantis per, non nisi quoque suis sub cautelis erunt adhibenda: quod magis adhuc circa

V. Repellentia notandum, quorum in censem veniunt: aqua frigida, nix, glacies ore detenta, a quibus odontalgiam sanatam fuisse apud auctores occurrit, qualeque notum mihi exemplum alicujus, qui febre tertiana laborans qualibet paroxysmo dolorem dentium quoque experiens, eum frigida in ore detenta fugabat, pertinent ad horum classem vel faltem ad adstringentia, illa medicamenta quoque quæ Veteres auribus intrudi jubebant aut infundi, quorum ex APOLLONII Parabilium I. quedam tradit GALenus I. c.

quæ

quæ quidem ob arteriolarum anteriorum auris, cum dentium arteriolis connexionem, distillationes humorum ad dentes eodem modo intercipere valent ac adstringentia temporibus applicata, cumque acria sint, aurium tunicam glandulosam irritare & ad copiosiorem feri secretionem follicitare; cum vero his locis irritatis & ob copiosiorem nervearum fibrillarum decursum admodum sensibilibus, agitatio iterum humorum in his locis producatur unde otalgiae graves satis, aut plane motus convulsivi timendæ, hinc optime recentiores hæc remedia proscripta.

VI. Alterantia quoque memoranda veniunt medicamenta quorum in numerum pertineat.

- a) Temperantia pulveres nitroso absorbentes, infusæ theiformia, ptisanæ refrigerantes, juscula ex herbis refrigerantibus, orgasmum sanguinis imminuentia, in omni odontalgia a causa calida, nec non in cariosa eximie fæse gerentia.
- b) Corrigentia varia, sanguinis acrimoniam scorbuticam præcipue; hic antiscorbutica jusculis cum refrigerantibus exhibita, radices chinæ, farfepa- rillæ, lapathi acuti, herbæ acetosæ, cochleariæ, beccabungæ, nafturtii &c. cumque gingivæ in hoc casu admodum læsæ deprehendantur, ita ut ad leviores quamcumque etiam irritationem cruententur, eadem herbae masticatae celebrantur ad firmandas & roborandas gingivas, ad quem finem veteres lac asiminum & caprillum celebrant CELSIUS, PLINIUS, GALENUS II. cc. acidulæ quoque temperatores, laeti maritatæ, hic quoque eximie fæse gerunt: ubi tamen & illud notandum, martiales fortiores & frigidiores dentibus utplurimum magis solere esse funestas. Reliquas acrimonias corrigent hisce actimonii appropriata quævis remedia, quæ semper in hisce speciebus primariam absolvunt paginam, dum hac remanente causa, malum quoque semper remaneat; igitur quantocius aut miserna venereum corrigendum & eliminandam, aut materia arthritica, podagræ revocanda. Tandem agmen claudant.

VII. Anodyna f. Paregorica, quorsum pertinent stupefacientia, narcotica, opia. Eminent hic hyoscyami radix & semen, papaverina quævis, ipsum opium & ex his composita linimenta, electuaria, extracta, pilulæ, laudanum liquidum, theriaca coelestis & andromachi, philonium, Pilulæ de cynoglossa; usurpantur talia interne vel externe; quæ vero de eorum usu post ea quæ Cel. TRALLES Tract. de Opii uſu ſal & nox. monuit proferri amplius poſſint non video: internum quidem circa eorum uſum. Sect. II. C. III. §. 38. & 39. p. 348. & seq. occupatus, quanvis illa mire depredicent nonnulli auctores, tamen eadem, quoniam narcoti licet sensorio communii inducta, lenimen cefſante remedii actione exspirat, in odontalgia a carie, quod unice hic a nervulorum in dente sentientium deſtructione certo expectari poſt, quoniamque ſat magna quoque eorundem doſis nihil plane

plane hic effecerit, proscribit, nec non in qualibet odontalgia ab inflammatione, congestionibus sanguinis ad caput, a plethora, quoniam medicamento vino analogo, talem dolorem, qui monente iam CELSO L. VI. c. 10. maxima ex parte, abstinentia a vino curari debet, exasperarent & advocarent potius, uti hoc contigisse refert RIEDLINO Lin. Med. Ann. V. p. 462. dum specifica virtute liquida ad caput determinant, ubi vero jam ad dentes inflammatos congestio & appulsus sanguinis justo major, unde per consequens eorum effectus dolor necessario augeri debeat, in quibus casibus ergo preceunte FAUCHARD l. c. topica emollientia, revellentia, temperantia securiora & meliora suadet, siue præterea atrocior forsan dolor expositus eadem, aut aeger; evacuationes & revulsiones, dilutiones & temperationes premitit. In odontalgia vero rheumatica a sero viscidio aut acrimonia specifica sine orgasmio ea sudoriferis, resolventibus jungere minime dubitat & in subjectis phlegmaticis cum fructu adhibuit, post evacuatos humores per purgantia appropriata; odontalgiam vero a seri acrimonia sui generis arthritica, scorbutica, venerea non tolli, addit, nisi juste humorum correctioni fuerit satisfactum simul. Externe Sect. IV. c. VII. §. 3. p. 200. topica opata tamen removere odontalgiam, remotionemque ejus cum aliis quibus additur juvare posse & tum agere ut lenia vesicantia, attrahentia, rubefacientia monet; sive jam sub emplastri forma temporibus aut tinturarum vel pillularum &c. dentibus applicentur aut immittantur; cavendum tamen & hic esse ne subjectis mobilibus summe, & sensibilibus nervis preditis concedantur, ubi deliria & convulsiones plane producere valebunt, quale quid superius paulo p. 195. refert ex LORRY.

## §. XI.

Remediorum horum pharmaceuticorum catalogum in infinitum posslem augere, si omnia vel simplicia vel composita, nominetenus saltem, recensere vellem. Curiosus circa ea lector farraginem eorum inveniet in CELSI, GALENI, PLINII, AEGINETÆ, AVICENNÆ, SENNERTI, ZWINGERI, HOFFMANNI ll. cc. alisque; nec miretur quis de anthelminticis me filuisse inter pharmaceutica medicamenta, cum circa caussam vermes nempe, jam anceps haeserim: ne tamen & hic aliquid deficiat, iterum suffitum ex semine hyoscyami aliaque anthelmintica sibi commendata habeat; mel quoque quod dulcedine vermes prolicit, uti ex PECHLINI historia l. c. videtur, aliaque dulcia eandem ob causam anthelminticam exferent virtutem; caustica quoque non peculiariter amplius memoravimus cum jam de iis sub chirurgicis auxiliis sermo factus fuerit.

## §. XII.

Quod modo diximus de remediis pharmaceuticis, id valet quoque de sympatheticis, tot nempe extare, ut quoque non finiremus, si omnia in medium proferre velimus: versabimur ergo circa haec ita, ut solummodo simus prolaturi, quæ sua actione aut applicatione ad corpus humanum aliquid in hoc affectu præstare valebunt. Jam supra curæ sympatheticæ exempla protulimus sub scarificatione quidque de ea judicandum sit docuimus, non amplius ergo repetemus. Per transplantationem in radicem fænacionis recenter cum herba erutam, dentibus ad cruentationem usque affrictam statimque in pristinum locum iterum defossam, curari memorant varii, PLINIUS præcipue *H. N. L. XXV. c. 13.* quamquam is absque scarificatione, ex sententia vulgi, tactu solum prodeesse eam, refert; ubi vero iterum scarificatio optimum præstet: alio modo transplantavit dolorem dentium ancilla quedam in milesium domesticum, genis noctu appositum, levamen exinde sentiens, catello vero admodum ægre habente ROLFINCUS & PETERS *Diff. de Odontalgia c. 17.* ad instar podagre, quam catellos ex decubitu cum ægris fuscipere BORELLUS *L. c. Ceut. III. obf. 28.* testatur. Tactu vero etiam sedant odontalgiam, quam rem SCHELLHAMMERUS & KRYISINGIUS *Diff. de Odontalgia tactu sedanda Kiliae 1701.* überius dilucidarunt: sufficiat hic illud, quod plures in arcans habent, protulisse; in dipsaci, antiquis labrum venereum dicti, disruptorum capitum medulla alba, mense Martio & Aprili sæpiissime inveniuntur vermiculi albi, oblongi, hos inter digitos conterunt, præcipue pollicem & indicem & hisce deinde dentem laborantem leniter perfricant & hoc modo odontalgiam sanant; virtus haec digitis per annum & plures inheret, nec ablutione manuum tollitur secundum ipsos, hosce vermiculos jam PLINIUS *H. N. L. c. 29. XXX. c. 3.* vel circa dentes necatos aut cavis dentium cera inclusos, dolorem sistere testatur; ob similem specificam vim ranas integras præcipue ranam arboream *L. Faun. succ. 280.* quam Germani *& aut fröschlein,* appellant, non nulli præeunte PLINIO *L. XXXII. c. 7.* maxillis adligant, aut bufonis officulo ex pede fricant gingivas, juxta STEPHANUM *Comment. in Hippocr. de struct. hom.* quod tamen monente MORGAGNIO *de sed. & cauf. morb. L. I. P. XIV. n. 3.* *T. I. p. 119.* doctissimus quidam Medicus frustra in se expertus est; qui ipse, cum in se ex frictione leni gingivarum propriis digitis, levamen doloris perciperet, ideo haud os bufonis illud efficere nonnunquam, sed frictionem lenem autem, quod ante eum in se ipso quoque expertus est, CARDANUS. Taceo jam amuleta varia e radice dentaria, hyænae ferrati, aut aliorum animalium dentibus, quas etiam tactu prodeesse credunt aliaque ridicula plane & superstitionis medicamenta; non nostrum facimus eorum vanitatem exponere, fidem his adstringat, ea in usum trahat, qui velit; seniora

& probatiōra, magisq[ue] rationalia dum habeamus, commode iis carere possumus; examinemus potius curas magneticas.

S. 13.

Sub cura magnetica non intelligimus illas, quas THEOPHRASTUS PARACELSIUS *L. I. von natürlichen Dingen, c. 3.* nec non de *Elleboro nigro & Persicaria Opp. T. I. p. 1009.* & sqq. recenset, dum hasce herbas magnetice agere in odontalgia contendit, ubi herba tanquam ferrum, ex corpore ut magnete, extrahit quasi dolorem, etenim & ipse his plantis narcoticam & acrem vim simul inesse monet, qua quidem virtute eas potius tum agere credimus: nec illa, quas HELMONTIUS *de magneticā vulner. curat. Opp. p. 707. n. 20.* & sqq. recenset, cum munia humana vegetabilibus temperata variis: sed illam, qua applicatione magnetis, artificialis potissimum, dentium medentur doloribus. Prima hujus rei mentio quantum reperire potui occurrit, apud BORELLUM *l. c. Cent. IV. obs. 75.* qui quosdam dentiscalpia & auriscalpia habere magnete tacta, quibus tactu solo dolores dentium, aurium & oculorum tollunt, refert; apud omnes deinde fere autores altum circa hanc rem silentium; eam obiter solummodo tangit HOFFMANNUS & SÜSSE *Diff. cit. §. 48.* Nostris temporibus, hoc præcipue anno, variis in diariis, effectuum salutarium magnetis artificialis in odontalgia mentio s[ecundu]m facta, præcipue in epistola anonyma, Petropoli data, JOURNAL ENCYCLOPEDIQUE *T. V. P. III. p. 129.* hujus anni inserta, quam quoniam non omnium versatur in manibus nostræ quoque inferemus Dissertationem:

*Lettre Anonyme de Petersbourg, sur la vertu de l'aimant artificiel, pour la guérison des maux des dents: d'après la Gazette Literaire de Ratisbonne.*

**P**lusieurs exemples de guérison du mal de dents, que j'ai vu réussir au moyen de l'aimant, ont entièrement dissipé le doute où j'étois à ce sujet. D'abord je crus ne devoir pas même en faire des expériences, tant ce moyen me parut peu vraisemblable; mais je m'y vis enfin obligé. Je fus appellé par une Dame qui souffroit les douleurs les plus cruelles, occasionnées par une dent cariée. J'ordonnai plusieurs choses; rien ne la soulagea, enfin je proposai de faire arracher la dent, ce que la Dame ne voulut pas. Je me vis donc contraint de recourir à un moyen que je croyois d'avance être inutile. Je fis tenir par trois différentes reprises un aimant artificiel contre la dent malade: & à mon grand étonnement la douleur disparut tout à fait en moins d'une heure.

Cet evenement m'encouragea à repeter mes expériences, & j'ai toujours réussi. Comme il est fort important d'observer que le malade ait le visage tourné vers le Nord, je me serai d'une boussole pour lui donner la direction

rection nécessaire & je touche moi même ou fais toucher par le malade la dent affectée, avec le pôle septentrional de l'aimant, ce qui se repete quelque fois. Toutes les dents ressentent alors une douleur légère; ensuite on éprouve dans la dent malade des pulsations, auxquelles succède un froid, qui s'étend même dans les dents saines, & qui après avoir duré un certain temps, se change en un engourdissement qui est suivi de Pentière guérison.

Une autre Dame qui étoit aussi tourmentée d'un mal des dents cruel, fit entrer dans la bouche de la fumée de la graine de la jusquiane, & exposa ensuite la bouche à la vapeur de l'eau chaude. Peu de tems après on vit naître dans l'eau de petits corps d'une couleur grise. La curiosité m'engagea à examiner ces corps au moyen d'un microscope. Je fus bien surpris de voir que c'étoit de véritables vers, qui avoient à la partie antérieure un aiguillon très pointu; le corps de ces vers étoit transparent & tacheté, la douleur des dents diminua après l'expulsion de ces vers, mais elle n'avoit pas encore cessé je fis l'usage de l'aimant, qui la guerit en moins d'une demi heure. Je me propose de faire des recherches ultérieures à l'occasion de ces vers, pour voir si l'on ne peut pas en tirer des conséquences relativement au mal des dents, aussi bien qu'à la carie des autres os, soit interne, soit externe & cela d'autant plus qu'on sait qu'il n'y a aucune partie de notre corps, qui ne puisse être attaquée des vers & que la carie en general est quelque fois très difficile à guérir.

Sumunt nempe ferri chalybeati laminam rostro præditam, polo septentrionali Magnetis, debitis subcautelis affrictam; & rotum ita confidere jubent, ut septentrionem respiciat, deinceps rostrum laminæ denti per horæ fere quadrantem applicant, exasperatur sub ipsa adapplicatione dolor, copiosior saliva effluit, & frigoris sensus sensim sensimque plus percipitur in loco affecto, quo cum remoto magnete evanescere & dolor sensim evanescit; nonnunquam frigoris ille sensus haud ita percipitur a prima applicatione & tum repeti debet eadem sub iisdem circumstantiis, quia exinde non admodum levantur; ut plurimum post alteram applicationem frigoris ille sensus plus percipitur & deinde, cum ut dixi in modum, dolor tollitur, aut faltem insigniter mitigatur, post tertiam applicationem semper fere abiturus; hæc illi; jam que mihi contigit circa hanc rem observare enarrabo.

## §. 14.

In dolore quidem a simplici carie, iisdem ac memoravi sub cautelis, in quibusdam felici eventu applicui magnetem artificiale, ita ut exceptatus post semihoram sequeretur effectus, recrudescere interim vel eodem, adhuc die sub vesperam, aut post aliquot dierum decursum dolore, quem deinceps aliqua juvencula topico vesicante emplastro temporibus applicato fugare tentabat, irrito vero etiam conatu.

In fœmina menstruo negotio inordinato, obstructionibus, defluxionibus catarrhalibus, itemque odontalgia exinde laborante, absente plane earie, magnes applicatus debitis sub circumstantiis, insequente frigore, dolores sedavit dentium; sed exinde gravativus capitis aurumque dolor sequebatur, febricula, & per noctem insomnia, quæ venæctionibus, medicamentis temperantibus, antiphlogisticis, clysmatibus mitigata, tandem usu aquæ anhaltinæ, naribus exceptæ, siluere; reddit eadem post quinque septimanas acerbis iterum, ex defluxione catarrhalis, laborans doloribus odontalgicis quæ quoque iterum ad applicationem magnetis cessavere, licet ægra sub applicatione meridiem versus collocata fuerit.

In me ipso ex plethora sanguinisque orgasmo odontalgia laborante, ea quidem ad primam applicationem magnetis cessabat, recrudecentibus autem adhuc eodem die doloribus, suborto que jam gingivarum tumore, quum me, pluviosa sub tempestate, incautius liberiori exposuissim æri, cum iterum magnetem præscriptum in modum applicarem, adeo adaugebantur dolores, ut per integrum noctem & sequentem diem maximis excruciatus fuerim tormentis, qua tandem post repetitam veuæctionem in pede statim evanere, tumor vero generum & gingivarum, blando observato regimine diaphoretico, collutionibus oris ex speciebus emollientibus, radiceque altheæ, in lacte decoctis, obtemperabat.

Ex acrimonia scorbutica laborans odontalgia habituali, incassum adhibitis plurimi remedii, magnetem quoque expertura, tantis inde excruciebatur doloribus, acsi omnis dentes ipsi extraherentur, dentes ipsi postea quoque plus vacillabant, solatium tandem experta, naribus excepto pulvere hellebori albi.

Sutor ex febre peripneumonica convalescens odontalgia laborans ad primam magnetis applicationem, nec valde copiosam salivæ excretionem, nullum fere frigus, nullum fere quoque dolorum levamen exinde sentiit, post meridiem ipsi iterum applicatus magnes copiosorem salivæ excretionem, aliquale frigus, dolorum pacationem, ita ut noctu dormire potuerit procreavit; altero tandem mane, tertia applicatione, auctis salivæ excretione nec non sensu frigoris in loco affecto dolor fugatus plane, sed & hic iterum capitis dolor gravativus, cum otalgia, insequebantur, quibus venæctionibus clysmatibus, diæta temperante fugatis, odontalgia de novo ingruebat, nova iterum applicatione magnetis fugata tandem.

Taceo plura exempla ubi bono fuit applicatus magnes absque ulterioribus sequelis, illud solummodo adhuc memorans a viro mihi narratum harum rerum non plane ignaro, qui sibi ipsi in odontalgia a causa catarrhalis magnetem applicans statim levamen sensit, post duos elapsos quoque dies recrudecentibus iterum doloribus iterataque applicatione, ubi tamen quoque intumescentia totius faciei insequebatur.

## §. 15.

Actionis hujus remedii rationem redditurus, statim quidem fateri cogor, vix mihi experimenta sufficere eandem pro certo determinandi, licet interim omnia, que ex allegatis observatis colligere queunt, repellentem vim ei inesse suadeant. Lubens plura instituisse experimenta circa hoc præcipue, an non & simplices chalybis aliorumque metallorum laminæ eundem habeant effectum, si tempus & occasio suppeditassent. Summa cum impatientia expectamus, quæ plurimi viri eruditæ & in arte celebres hinc inde circa idem remedium observant, uti ex amicorum litteris accipio, plus lucis nobis forsitan affusura: repellentem autem ei inesse vim, exinde concludo, proxime quod frigoris sensum imprimat loco affecto, sub quo vasæ constringuntur, affluxus ad hec loca minuitur, uti fere a nive, frigidis in ore detentis; unde vero hic frigoris sensus? an a frigida lamina metalli? sed eundem effectum habet & calore manus fota eadem lamina: ergo a magnete? Ex eo quoque quod post applicationem magnetis & sedatos dolores odontalgicos, tamen in nonnullis infecuta fuerit otalgia, dolor capitis gravativus idem forsitan concluderem, sed timeo ne fallaciam non causæ ut causæ hic committam; doceant me hic alii peritiores, aut plura observata; sed & in dolore ab acrimonia præcipue scorbutica nil boni præstat, quod idem quoque experiuntur alia repellentia, acrimonia enim semper subfilit, humorum licet affluxu aliquantis per repulso, idem fere & in carie obtinet. Tumore vero jam aborto quare nil boni amplius præstat? uti in me observavi & ab Exper. D. D. WILHELM Patrone meo in eternum Venerando, relatum accepi: obtinent tunc jam obstrunctiones vasorum, que augmentur a constrictione fibrarum, hinc ergo dolor quoque acerbior; ob frigoris vero eundem sensum indeque pendente constrictiōnem vasorum, copiosius fecerit saliva, quod quoque forsitan a distensione oris, ductuumque salivalium fortiori pressione dependet. Palliativum videtur solum esse remedium, cum doloris causam nunquam fere tollat, nisi forsitan in odontalgia a solo orgasmo fanguinis, ubi vero si & plethora fere associat, non male præmittuntur venæflectiones & derivantia alia, sola enim repellentia in his casibus jam supra damnavimus, quoniam exinde metastases ad alia loca timemus.

## §. 16.

Quo tandem pertinent singulares nonnullæ odontalgiae plane curæ e. g. in legato quodam, veneris exercitio, denuo instituto, postquam per trimestre spatiū erat intermissum, nullis aliis medicamentis domanda fere, observante EUTH. EPH. N. C. Dec. III. ann. V. & VI. obs. 76. p. 146. ad revulsoria & derivantia nonne medicamenta? aut in virgine quadam, viso solum medicamento, referente PAULLINO

C 3

obseru.

*observ. phys. med. XXXI.* aut viso aliquo, cui sub insignibus ejulatibus dens evellebatur, quale mihi notum est exemplum. Horror hic facit, quod in variis odontalgiae curis superstitionis confidentia, & fortis imaginatio nonnumquam efficit. Alter se res habet cum rheumate dentium a colluvie serosa, cura emaciante profligatum HOFFMANN M. R. S. l. c. p. 481. quæ consistit in detractione copiosi alimenti, abstinentia ab omnibus copiose alentibus, sufficiente motu & exercitatione corporis, tenui ac levi potu, interposito nonnunquam apto balsamico & robore; hisce enim minus corpori suppeditur alimentum, serum, lympha dissipantur & plethora obviam itur; eam ideo subjectis sanguine & succis plenis, habitus simul laxioris, doloribus nonnunquam rheumaticis, arthriticis, defluxionibus catarrhalibus, exinde laborantibus, cum EODEM hic commendamus.

## §. 17.

Brevibus nunc adhuc, quid in qualibet specie odontalgiae agendum, perquiramus:

A carie simpliciter si originem trahat, auxilia praestant Chirurgica; in leviori & superficiali, quæ absque insignibus doloribus esse solet, cauteria potentialia, in profundiori, actualia magis, quamdui dolor viget, post ejus cessationem, absente tumore, repletio dentis per plumbum, ast evulsio; inter pharmaceutica: aceta varia, quæ inter hodie Romanum & id quod de Tubis dicunt celebrant, eorum compositionem cum celent, arcuorum fata etiam ea manebunt; nimirum quæltus ergo ebuccinantur, novitate commendantur, a prudentibus in usum non trahuntur, eis similia ubique & in tabernis & in librīs reperiuntur magnes palliative nonnunquam.

Ab inflammatione; emollientia, discutientia, refolventia, derivantia, revellentia, evacuantia; magnes palliative absente tumore, absente plethora.

A plethora: venæflectiones, cucurbitulae, pediluvia, clysmata, forsan diæta emacians, & post evacuationem magnes.

Ab orgasmō simplici: temperantia, refrigerantia, magnes.

A defluxione catarrhalī, evacuantia, præcipue apophlegmatizantia, veſicatoria, ſedantia, & ſi tumor, discutientia, refolventia, emollientia, in ſtatu ſimul plethorio & habitu laxiore emacians diæta, ſepiffime & magnes.

Ab acrimonia ſcorbutica, ſcarificatio gingivarum, collutiones ex acetis ſupra laudatis, haud ita ſpirituofis, exſiccantibus, ſucci variarum plantarum anti-ſcorbuticarum, corrigentia.

A materia arthritica retropulsa: epispastica, temperantia, evacuantia; A fistu,

A fistula, evulsio & mundificantia.  
A causa venerea, corrigentia, evacuantia.

## §. 18.


Ad odontalgiam, referuntur quoque dentium stupor, stridor, & ipsa dentitio. Stuporis jam meminit HIPPOCRATES *περὶ πνοῆς*. II. 35. sub nomine *ἀπωλείας* quando eas mulieres, quæ internis vexantur fluxionibus *ἐγειρόμενοι* appellat, II. c. 16. T. II. p. 48. illumque & in aliis morbis ut symptoma occurrere monet e. g. in febre, orta ex lipyria, caput potissimum afflidente *περὶ νέφην* II. 16. T. II. Opp. p. 48. in erysipelate in pulmone ib. 53. nec non *περὶ τῶν ἐντονοῦσιν* 7. p. 204. in morbo nigro a vomitu rejecta materia. ib. 71. Galli appellant *agacement des dents*, est singulare molestus dolor dentium; modo omnium, modo unius solummodo sive alterius, a fructibus acerbis, austeri, affriceti dentium, aëris ingressu, masticationem impediens, sentiunt hunc præprimis illi, qui lima dentes æquales sibi reddere solent; dicit idem quoque Clar. de SAUVAGES *l. c.* de rachitis ob exquisitiorem dentium sensibilitatem; stupent & dentes ex vomitu materie corruptæ, aut a crapula; transitorius quidem est dolor & iis qui sepius illum experiuntur admodum molestus: ei Veteres opponebant masticationem portulaceæ AVICENNA *l. c.* imo acetosæ, recentiores linteo calido dentibus admoto, medulla panis calidi eum fugant; similem dolorem sentiunt homines a stridulis sonis acutissimis & raucis, limæ, suberis refecti, cuius ortum Clar. de SAUVAGES *l. c.* p. 105. ex principiis acusticis explicat, hic cum cessante causa, sono nempe illo stridulo, cesset quoque, peculiariter nullam meretur attentionem; quamvis interim, si diutius quoque duret, linteo calido dolorifica distractio illa, aut vibrationes ingratæ tollantur quoque. Stridor propriæ huc non pertinet, cum utplurimum sit aut symptomà solummodo aliorum morborum non dolorificum, sed tamen nonnunquam admodum pericolosum, dum in morbis acutis convulsiones, & in pueris epilepsias, ex mente jam HIPPOCRATIS presagiat, aut habitualis plane, sub somno, nonnunquam sit certis hominibus, ubi tamen vermes fere semper subefse suspicandum. Dentitio quoque minus videtur esse hujus loci cum non sit affectus dentium, sed gingivarum cum tamen insignis nonnunquam jungatur dolor in his locis, quem sublevare rogatur medicus, brevi quid convenientat hunc in finem expediam quoque. Præ aliis suademos inunctionem gingivarum cum oleosis, quem in finem veteres butyrum suadebant, deinde cum demulcentibus variis, melle rosato, aut Gallis hic adeo celebrato melle Narbonensi JOURNAL OECONOMIQUE A. 1764. Novembre p. 506. pressionem rerum duriorum inter gingivas, ipsam denique earum aperturam per lanceolam si nimis molesta & dolorifica fuerit.

## §. 19.

Silentio quoque non prætereunda prophylaxis. Primam hic absolvit paginam carita dentium a sordibus & reliquiis ciborum repurgatio, non quidem per instrumenta metallica, sed molliora paulisper, lignea dentificalia, aut pennas; & ablutione per spongiam aqua madidam, & collutio ne oris post prandium & cœnam: his quippe tartari, nec non cariei siccæ ab acidis, austerioris, viscidis, saccharatis inductæ, genesis præcavetur optimè: nec hunc in finem necessaria fuit, aut varia illa electuaria dentifricia & similes pulveres, quorum varia, elegantiores compositiones præter eas quæ antiqui de iis dederunt, præprimis invenire datur in ABDEKER ou Part de conserver la beauté T. II. p. 214. & sqq. aut DE JEAN traité des odeurs p. 230. & sqq. aut malvæ radices peculiari modo præparatæ quam præparationem citati modo auctores nobis exhibent quoque, quam tamen etiam jam apud antiquos invenio SENNERTUS l.c. Optime hoc præstat spongia frigida madefacta: reliqua interim dummodo rite præparata & subtilissime saltæ trita, ditionibus possunt concedi, dummodo quoque hic observent, nequid nimis. Gingivarum vitiis quoque prospicimus optime, variis illis acetis supra laudatis; melius quam spirituosis, camphoratis, exsiccantibus & calefacientibus, quæ præcipue in earum colliquecentia pessima deprehendit BOERHAA VIUS l. c. p. 277.







Straßburg, Med. Diss., S. Gambs -  
Grenitz

X 241 8801





A  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
B  
C  
D  
E  
F  
G  
H  
I  
J  
K  
L  
M  
N  
O  
P  
Q  
R  
S  
T  
U  
V  
W  
X  
Y  
Z  
Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue  
Centimetres  
Inches  
**B.I.G.**

ANALECTA  
DE  
**ODONTALGIA**  
EJUSQUE REMEDIIS VARIIS  
PRÆCIPUE  
MAGNETE  
SPECIMINE INAUGURALI MEDICO  
DIVINIS SUB AUSPICIIIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM  
UNIVERSITATE  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**FRANCISCUS ERNESTUS GLAUBRECHT**  
OXOVIO FRANCUS  
AD D. 29 Januarii A. R. S. MDCCCLXVI.  
ARGENTORATI excudebat JONAS LORENZIUS Typogr.